



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1563 usque ad annum 1566

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118626

§, 45. Mutato priori consilio severiora mandata a Philippo injuncta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67192](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67192)

Sæcul. XVI.
A. 1565.

gitantibus, de quibus ipsa quæstæ esset, remedium opponere studeat: ut autem eadem quodammodo præsentaneis necessitatibus suis occurrere valeret, Rex eidem partim numerata pecunia, partim Cambii literis sexaginta aureorum millia inter milites pro more conscriptos, necnon ducenta millia inter præfidiarios, ac centum quinquaginta millia pro Magistratuum salariis, & Provinciarum administrationibus distribuenda submittebat.

§. XLV.

Mutato priori consilio severiora mandata a Philippo injuncta.

*Thu. l. 40. n. 2
Strad. l. 4.
versus finem.*

Comes hæc mandata, ac literas Gubernatrici tradit: cum autem illa ad ea exequenda animum adjiceret, Rex nova prioribus contraria submittebat mandata; nam hæc non amplius illam lenitatem, ac animi moderationem præferebant, quæ in tam periculosa rerum vicissitudine tum adeo necessaria videbatur: eapropter Comes novi hujus mandati ignarus, ac priora jussa minime effectui dari intelligens turbato præter modum animo apud Gubernatricem querebatur, atque ab Aula secedendi veniam petebat: equidem Guber-

Gubernatrix haud parum commota datis ad Hispaniæ Regem literis animi sui curas explicabat : ast Philippus Rex cum Inquisitionis tribunal institui percuperet, ac in hæreticos pertinaciter Ecclesiæ Catholicæ auctoritati obstistentes summa severitate animadvertendum falso persuasus esset, illa rigida, quæ dedit, mandata confirmabat, atque illorum executionem Gubernatrici demandabat : hæc autem Regem flecti haud posse dolebat, sed resistendo impar Regis voluntatem sequenti edicto per omnes Provincias divulgato manifestam reddebat (*) erat autem edictum his verbis conceptum.

Sæcul XVI.
A.C. 1565.

§. XLVI.

(*) Quænam severiora hæc fuerint mandata, Thuanus, & Strada reticent, ex his vero posterior affirmat, quod Rex posteriori hoc mandato novum quid, ac priori contrarium præcepisse falso creditus fuerit: porro id ipsum sat vero simile est; ipsemet enim Rex Philippus perperam id spargi affirmabat, hæc ad Gubernatricem perscribens: *Falso querunt illi, qui affirmant, quod aliud ego cum Egmontio transegerim, aliud per literas Vallisoleti nuper imperaverim: itaque, ut, quid ipse volo, explicate pronuntiem, principio in plebendis Anabaptistis, aliisque hæreticis, quarumcumque familiarum illi sint, nolo quidquam aut remitti, aut differ-*